

1746.

1. Dicilius, Georgius Ristinus: Thesaurus Dissertarum propriatis seu ab ipse emendatione et auctoritate valido [sic!] aliove efficaci
2. Dicilius, Georgius Ristinus: De hepatici remedio salutari Columnaris ac Lemuris Estibus possecuris peculiariis prescripto in rectionibus ordinacionibus processualibus palatinosolubacensibus.
- 2^o Rickelmeir, Iacobus Angustius: Nec, quod difficile est in numero doctoris academicis et principis theologiae
- 2^o Schenckius, Christianus Gottlieb: Observations physiologicae ex Claudi Mamertini pinguiscom genitellis cum Maximiensi Aug. dictam.
3. Walpenn, Nicolaus: Novae iustole testimoniis conjugorum reciprocis recente jura Germanica et speciation recente statuta Hanoverianae.

1747.

1. Beckius, Philippus Ludovicus: De co quod justum
est circa rem ducato vel pluribus seorsim venditam

2. Dammerker, Fridericus Gaildarius: De jure reden
bonis fructuum beneficiorum ecclesiasticorum

3. Neutius, Georgius Fridericus: De testamento trah-
atis etc.

3^a Schwarzius, Charles Gottlieb: De antiquo ritu legi-
timantib[us] liberos illegitimus per pallium.

4. Stirner, Christopher Gaildarius: De annatis rerum
iuncti. prescriptio Germanica et palauium
Norimbergensium

5. Ulrich, Josephus Gabriel: De feudo venationis

1748

1. Bonifacius, Iacobus Carolus Petrus: De jure verecundie per
modum servitios iuri publici in territorio alieno ejusque
em et ab eo.

1. Danrenthes, Christopherus Fridericus: De translatiorum
iurium symbolorum et vario itenque et jure Norico.
3. Roslinus, Georgius Fridericus: De primo apud hanc
Cicatricem post acceptationem secundum, statim liberato
4. Tenerlin, Jakobus Conradus: De illegitimiis, quibus
dam pignora ac hypothecas constitutas reliner.
Tunc mortis
5. Hauf, Iohann Peter: De vario apud Germanos
rusticis status
6. Hammann, Iohannes: De definitione in jure
periculosa.
7. Link, Wilhelmus Fridericus: De rebus sub pacto
reservatis domini vestitae periculis.

1749.

1. Hammann, Iohannes: De characteribus superioribus
terrenaemis cuncte dignitatis



1749.

2. Hofmannus, Carolus : De usu fructu paratione & salutari
io primis Novico.

3. Windeler, Samuel Vetus : De paenitentiis coniugiorum inter
essum luctus secundos nuptias contrahentium

C. 3886

Pri. 65. Numb. 32.
16. DE 1747, 3 8
**TESTAMENTO IRATI
VALIDO**

AVSPICE

D. GEORGIO FRIDERICO DEINLINO
IVRECONSVLTO ET ANTECESSORE
PERILL. REIP. NORIMBERGENSIS
CONSILIARIO

*FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO
IN ALMA NORICORVM VNIVERSITATE*

D. XXI APR. ANNO C¹I²C¹CXLVII

H. L. Q. C.

PUBLICE DISSERET

AVCTOR

**FRIDERICVS GVILIELMVS DANNREVTHER
NORIMBERGENSIS**

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGRAPHI.



060

ПАЯ ОТИ СМАРГЕТ
ОГЛАДИ

ОЛІНІДІ СІРІСІ СІРІСІ
СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ

СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ
СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ

СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ
СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ

СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ
СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ СІРІСІ

VIRO

M3 DIGNITATE ET MERITIS ILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO CONSULTISSIMO

IOH. FRIDERICO DANNREVTHERO

PER ILLVSTRIS REIPUBLICAE NORIMBERGENSIS
CONSILIARIO PRIMARIO

IVRECONSULTO FIDEI ET CONSILIORVM IN PATRIAM
DEXTERITATE MAXIME INSIGNI ET SPECTATA
SANCTIORIS IUSTITIAE SOLIDISSIMAEQUE
ERUDITIONIS LAUDE

CVMVLATISSIMO

AGNATO SVSCEPTORI ET PATRONO SVO
IN AETERNUM VENERANDO

NEC NON

VIRO GENEROSISSIMO CONSULTISSIMO
DOCTISSIMOQUE

IOH. GVLIBALDO HOERMANNO

AB ET IN GVTTEMBERG
I. V. D. ET REIPUBLICAE NORIMBERG.
ADVOCATO ORDINARIO

IVRECONSULTO DEXTERIMO ET ELEGANTIORIS
IVRISPRUDENTIAE CULTV EXQVISITAQUE
RERVM SCIENTIA

PRAESTANTISSIMO

FAMILIAE SVAE ORNAMENTO INCOMPARABILI

COGNATO SVO OB SINGVLAREM ERGA SE
BENEVOLENTIAM PERPETVO
SVSPICIENDO

OMNEM QVAE VOTIS EXPETI POTEST FELICITATEM
PIE APPRECATVS

HAS PRIMITIAS ACADEMICAS
EX VETERVM FORMVLA.

DR. D. DR.

HOH. CIVILIPEDO HOFMANNO

DEVINCTISSIMVS OBSTRICTISSIMVS QVE

FRIDERICVS GVIELMVS DANNREVTHER.



PRAEFATIO.



N*on* eram nescius , candide lector , dum , quae summis ingenii exquisitaque doctrina præediti iureconsulti affirmarunt hactenus , ego in hac pertractatione in dubium uocare ausus sum fore , ut hic labor meus in uarias reprobationes incurreret . Nam quibusdam , et iis quidem non admodum indoctis , totum hoc displicet , dissentire ; quidam autem non tam eos reprehendunt , qui cum omnibus et minus clarioribus haud conueniunt , sed tantum contra uiros famae magnifica et ingentis auctoritatis haud esse dicendum , arbitrantur . Deinde futuros aliquos suspicor , qui totum hoc argumentum meae dissertationis inane , inutile , et tantum non absurdum declarant . Omnibus hisce obuiam eundum breviter , existimo . Nimirum quanquam satis ridiculum est , et nouarum rerum cupidus is uidetur , qui contra uiros eruditio nis amplissimae coeco impetu insurgit ; salua tamen mibi , ut spero , erit in doctrinis aliquo modo uexatis et dubiis , illa dissentendi licentia , quae in republica litteraria omne punctum absoluit . Tolle hanc , et omnia in iurisprudentiae campo dissoluta repieres . Sententiam suam certis ac indubitatis principiis superstruere , magis congruum est , quam eam firmare solo præiudicio auctoritatis , BARTOLI , BALDI , ACCVRSII , CACCLALVPI , et sexcentorum aliorum manibus euocatis . Experientia testatur ,

quantum emolumenti talis statuendi libertas philosophiae fuerit : Ecce non etiam iure consulti ambabus , ut aiunt , manibus eam arriperent ? Est haec libertas universalis : Sic , sine ullo respectu personae , sola ueritas , ubicunque eam inuenio , mibi amica est . Et eur igitur alios imiter , eriamque clarissimos , more simitarum ? Est potius mei officii , ut legum genuinas rationes , non nudis uerborum accipiis , uirorumque sola auctoritate , sed gravitate iudicii metiar . Quid tandem obstat , quo minus dissensum ab allis , execratis omnibus iniuriis , et quidem summa qua decet modestia , declarem ? His per motus a me impetrare non potui , quin contra LAVTERBACHIVM STRYKVM QVE , uiros aeternorum caeterorum meritorum in iurisprudentiam praestantia maxime conspicuos , caeterosque , qui forsan eos sequuntur , validitatem testamenti irati legitimorum argumentorum conquisitione , vindicare conarer . Talem laborem eo acerius antea suscipiendum duxi , cum constituerim mecum , opella hac academica exercitii gratia in campum deducta , ad magis serium et grauius negotium , ad dissertationem scilicet quandam folienniorem , animum meum praeparare . Ni fallor , argumentum hoc meum ita comparatum est , ut habeamus abunde , de quo in cathedra amice concertare possumus . Caeterum an principia et conclusiones meae tanti roboris sint , ut etiam alios de validitate testamenti irati convincere queant , tenuitatis meae conscientia , eorum arbitrio , qui de rebus recte sentient indicare , relinquendum erit . Eam ob rem humanitatem tuam , benevolie lector , si quid etiam erratum existimabis , eo facilius me impetraturum spero , quo largius TIBI concedo , esse hoc problema quoddam iuridicum , inter studia mea academica natum ; et quo uebementius iam TE rogo , ne meas conclusiones prius , quam simul eorum principia destruxeris , praecepiti suffragio condemnes . Vale ! meque benevolentiae , sicuti bonorum omnium , ita et tuae maxime , etiam atque etiam commendo . Scripti Altorfii d . XXI Apr . CCCLXXVII .

SECTIO



SECTIO I.

DE

AFFECTIBVS ET SPECIATIM DE IRA
SECUNDVM
GENVINVM CONCEPTVM IVRIS.

§. I.



Iram in classem affectuum referri, notius *Descriptio affectus*. est et clariss, quam ut id a me nunc uberius debeat uel possit exponi. Cum de *Testamento Irati* agere constitui, ordo postulat, ut et de affectibus quaedam disseram; praesertim ut generalia constent, quomodo ii confiderentur, et aestimentur, in foro iuridico. Cauta dico in foro iuridico: Nam affectuum doctrinam hoc loco pro dignitate tractare, uel exhaustire, ab instituti mei ratione maxime alienum est. At uero certis quibusdam positionibus opus est, ex quibus fluere debent ea, quae rationem decidendi suppeditant meo themati. *Affectum* describo per uebementem animi motum ad aliquid appetendum uel auerſandum, effectus producentem secundum istum motum, id est, eius indoli conuenientes, partim internos, partim et interdum externos. Reliquas subtilitates, quae intuitu

8 SECTIO I. DE AFFECTIBVS ET SPECIATIM DE IRA

tuitu huius descriptionis forsan desiderari possent, sciens prudensque relinquo Physicis, Medicis, Philosophiae moralis Doctoribus, et quibuscumque, qui iis immorari debent, et iisdem delectari possunt. Mihi iam sufficit, affectum quemcumque ita scriptum esse, ut, si quem producit effectum, facile sit iudicium, utrum eius consideratio spectet ad forum iuridicum. Vix enim mihi tempore ab ingenua illa confessione, sub initium statim publice edenda, me simpliciter negare, affectum, quatenus sunt affectus in se spectati, ueram aliquam considerationem et aestimationem, in foro iuridico, id est, humano et externo, regulariter esse posse. Et hoc est, quod, quia cardo rei et controversiae potissimum in eo uertitur, in sequentibus breuiter explicabo. Scio equidem, multos iuris interpres desudare in distinctione inter affectus animi internos et externos. Et hos quoque suo ingenio frui, facile patiar. Sed, si uerum fateri cogor, nescio quid sibi uelint affectus animi externi; utpote qui potius sunt *effectus illius affectus*, qui animum ad has uel illas actiones suscipiendas disposuit, promovit, et incitauit. De his *effectibus*, de his *actionibus*, tanquam de objecto totius iurisprudentiae, quaqua patet, *humanis*, iudicamus in foro externo et iuridico; nunquam uero nobis incumbit longe lateque circumspicere, quo interno animi affectu aliquis ad tales actiones suscipiendas permotus fuerit. Mens mea statim clarior fiet, si ad species nonnullas affectum, eorumque effectuum, transire uolo. Inter affectus maxime eminent amor, tristitia, dolor, meticolositas etc. Horum affectum omnium sedes in animo, nulla ratione exercet prouiden-

*Forum ex-
ternum
humanum
proprie non
considerat
affectus
quatales.*

*Sed effec-
tus, i. e.
actiones.*

uidentiam specialem legislatoris humani , neque leges , uel latae uel adhuc ferendae , ullam admittunt applicationem ad ea , quae in animo et mente uer- fiantur agitanturque . Quod si in effectus quoque pro- rumpunt isti affectus ; si etiam tales sunt effectus siue actiones , de quibus aliqua determinatio iustitiae uel iniustitiae in legibus ipsis deprehenderetur ; attamen harum actionum sola qualitas externa in aestimatio- nem iuridicam uenit , detracto omni ualore actioni , quem forsan haberet intuitu affectus , ex quo processit . Accommodabo specialius dicta ad effectum amoris . Quis dubitaret , donationes et omnes liberalitates re- gulariter et communiter ex hoc affectu progerminare solere ? At nihilominus certissimum est , eiusmodi libe- ralitates ex alio quoque affectu , fonte , et diuersa caus- sa , profluere posse : u. g. Si eum in finem erga agna- tum meum liberalitatem exercere quasi cogor , ut mea eiusque fama salua sit , dum huius , facultatibus lapsi , bona obaerata , sub ignominiosa hasta alias di- strahenda essent . Donatio secundum leges ualida est . Ergo legislatores iudicesque prorsus nullam rationem habent affectus , ex quo liberalitas illa ortum traxit , sed respiciunt unice actionem externam , quatenus ea subiecta est determinationi legis . Noli , quaeſo ! alto supercilio hanc speciem intueri , spernere uel deridere : Si ad nostrum Irati testamentum deueniemus , tu , qui haec legis , mecum commodissime applicabis ad po- testatem legislatoriam solis externis actionibus deter- minandis adstrictam , id est , ad testamenti factionem ; detracta omni consideratione , ex quo affectu haec pro- cesserit . Quod solummodo in transitu monere uolui . Id , credo , iam mihi largiendum erit , supra enuncia-

B tam

tam propositionem, ita declaratam, a nemine facile oppugnari posse, quod affectuum, *in se spectatorum*, aestimatio ex foro externo iuridico sit releganda regulariter, quia nullum influxum habet in ipsas actiones, quatenus constituunt solum et proprium obiectum legum et iudiciorum.

§. II.

Quod probatur ex genuina definitione iustitiae actionis.

Vt rationes meas ita subduxerim in describenda qualitate actionum humanarum, legibus accommodandarum, habito respectu aestimationis in foro iuridico, sine omni coniunctione aestimationis alicuius affectuum, ex quibus processerint, non una me mouit causa. Praecipua haec fuit: Animaduerti hanc meam sententiam mira ratione conspirare cum sententia illa Puffendorfiana de recte formanda, in arte Iuris humani, definitione Iustitiae. *Iustitiae*, inquam, nimirum *actionis* non *personae*; nam legislator humanus prorsus non occupatur circa iustitiam *personae*, quae est et manet *virtus*, i. e. *constans ac perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*. Vnica ille respicit *iustitiam actionis*, quae *qualitas est actionis nostrae*, et *quae illam conformem sifit normae, siue legi*. Si haec uera sunt, parum intereat legislatoris humani, adeoque et iudicis pro tribunali sedentis, utrum quis iustus sit formidine poenae, an uero uirtutis amore; sufficit, actionis externam qualitatem compositam esse ad legem. Inde quilibet iudicabit, quam parum referat, utrum actio aliqua ex affectu quodam interno laudabili uel uituperabili, moderato uel uehementiori, orta fuerit; modo ea in eiusmodi terminis nunc in iudicio appareat, in quibus omnis iustitia, i. e. conformitas cum *praescripto*

scripto legum, spectatur. Nunc tu intelliges, quid sibi uelit L. 18. D. de poen. ubi dicitur, quod cogitationis poenam nemo patiatur. Conf. HEINECCIVS Elem. ad Inst. de I. et I. §. XIX. in not. Intelliges quoque quid sibi uelit L. 55. de Reg. I. quod nullus videatur dolo facere, quod nullus iniuriam alteri inferat, qui iure suo utitur.

§. III.

Iam ad Iratnum possem me conuertere, et non tam illum ipsum in affectu suo constitutum, quam potius eius actiones, in foro iuridico spectandas, exhibere, nisi summa postularet necessitas, ut, intuitu *duplicis alicuius obiectionis*, meam, antea explicatam, sententiam saluam reddam. Scilicet Primo mihi *Primae* quis obtrudere posset illam doctrinam de summo gradu affectuum, omnem mentis usum facile destruente, ac proinde efficiente, ut non solum ipsa actio totalem eclipsin quasi patiatur, sed etiam ut deinde eius aestimatio in ipso foro iuridico secundum istum affectum sit instituenda. Neque negare possum tales actiones, quae ab homine, per affectum uebementissimum praecedentem tristitiae, amoris, irae etc. in miserum mentis prorsus alienatae statum detruso, uel saltem in morbum, omnem rationem humanam omnimodo auferentem, et hominem brutis assimilantem, u. g. comitalem, delapso, editae fuerunt, talem omnino mereri aestimationem in foro humano et externo, ut uel valor iis sit denegandus, uel, si per eas nocitum, eadem imputari agenti nequeant. Verum enim uero tunc nego atque pernego, illud soli affectui tribendum esse, quod in actione est et conspicitur; cum potius pertineat ad classem actionum

12 SECTIO I. DE IFFECTIBVS ET SPECIATIM DE IRA

num furiosorum , mente captorum etc. uno uerbo: ad actiones prorūs *involuntarias* , agenti nunquam imputandas. Porro , secundo , tametsi in antecedentibus simpliciter thesin defendendam assumferim , affectuum nullam esse in foro externo aestimationem , sed solam et nudam considerari actionem , quatenus ea , legibus determinata , comprehenditur : nihilominus in tantum cogor unicam , eamque satis leuem , exceptionem a regula admittere , nimirum eam , quod , si in materia delictorum uersamur , extremus aliquis gradus affectus , morali sua aestimatione aliqua ratione excusandus , iudicem , uel , quod aequius esset , summum imperantem , permouere possit , ut , ille poenam aliquam extraordinariam ordinariae preeferre , uel , hic ad indulgentiam , et certo modo ad ius aggratiandi exercendum , inuitari possit . Sed haec ipsa qualiscunque exceptio , quemadmodum variis difficultatibus adhuc obnoxia est , ita etiam , non nisi summa circumspectione , in usum deduci debet ; consequenter regulae parum uel nihil in effectu detrahit.

§. IV.

Ex praemissis liceat mihi nonnullas Conclusiones , inde fluentes , breuiter deducere . Concludo itaque I) leges humanas affectibus , qua talibus , et quousque manent affectus , non imperare . Si dixi : qua talibus , intelligo remotionem illorum actuum , qui non amplius ad actus affectuum , sed potius ad actus alienatae mentis , referri debent . Si dixi : quousque manent affectus , quilibet intelliget , me prouidenter excludere actiones ipsas , quae ab uno alteroue affectu proruperunt . His itaque affectibus non imperant leges

Ex praemissis liceat mihi nonnullas Conclusiones , inde fluentes , breuiter deducere . Concludo itaque I) leges humanas affectibus , qua talibus , et quousque manent affectus , non imperare . Si dixi : qua talibus , intelligo remotionem illorum actuum , qui non amplius ad actus affectuum , sed potius ad actus alienatae mentis , referri debent . Si dixi : quousque manent affectus , quilibet intelliget , me prouidenter excludere actiones ipsas , quae ab uno alteroue affectu proruperunt . His itaque affectibus non imperant leges

ges humanae, quia interna non reguntur ciuili et humano imperio. Fere eadem ratione haec ita dicuntur, qua conscientia dicitur ab humano imperio et coactione immunis. Concludo II) affectus *intuitu Secundaa.* legislationis humanae et externi fori cognitionis, esse indiferentes, id est, nec in se bonos, nec malos; uel, si mauis, nec iustos, nec iniustos. Scilicet, solae actiones ex quoque affectu prouenerint, secundum suas circumstantias externas, et in legibus determinatas, iudicari debent; sine habito respectu, ex quo praecise affectu eas quis suscepit. Ita qui furtum fecit, punitur, si reliquae circumstantiae actionis et termini, quibus ea circumscribitur, poenam ordinariam legitimam reddunt. Neque iudex diu et solicite disquirere debet, utrum fur, auaritia ductus, uel vindictae cupidus, ad hoc crimen perpetrandum in uitatus fuerit. Hoc itaque sensu dico affectus esse, intuitu legislationis humanae et cognitionis forensis, *indifferentes*, ut appareat, in omnibus negotiis, quae obiectum humani et externi iudicij constituant, iudicem supersedere posse, difficile inquisitione in *internas affectuum operationes*; unice inhaerendo iis, quae coram existunt, et quae exerno iudicio possunt dirimi. Scio equidem, uti antea dixi, saepe delinquentes ordinariam poenam subterfugere studuisse, in delictis maxime atrocioribus, u. g. homicidio, allegato tae dio uitae; uerum nec huius farinae exemplis dimo ueor a semel electo principio; quia nemo mihi persuadebit, in exemplo proposito, taedium uitae allegatum, si etiam pro *affectu* illud admitterem, pro iusta, uel mitigandi, uel, quod magis est, prorsus excludendi poenam, allegari posse causa, si non aliae

Tertia.

grauissimae circumstantiae, ut est uera melancholia cum mentis alienatione coniuncta, etc. concurrerent. Concludo III.) subtilitatem, in dimetiendis et quasi mathematica proportione numerandis gradibus affectuum, actiones deinde externas producentium, uel eas concomitantium, non solum esse in se difficillimam simulque fallacissimam; sed eandem etiam exiguum mereri attentionem in foro humano, neque etiam habere tam insignem influxum in modum cognoscendi et inuestigandi *iustitiam uel iniustitiam actionis alicuius*. Durum forsan uni uel alteri lectori hoc meum assertum videbitur: Ast statim mitius iudicium exspectabo, explicaturus mentem. Possum mihi concipere, dari homines, qui ex externis signis aliorum, in affectu constitutorum, statim iudicium ferre non dubitatunt de interno gradu affectus; adeo, ut crederes, eos usos fuisse Barometro quodam a DORICELLO inuenio, morali nunc quoque usui et internis affectibus hominum designandis, accommodato. Vereor ne decipientur suaibus his somniis. Sunt nonnulli in summo affectu tristitiae internae constituti, qui nihilominus externa huius affectus signa, ut lacrymas et alias luctuosas uultus mutationes, tam scite cohibere et evitare possunt, ut de interno mentis statu nemo ullum certum iudicium ferre possit. Eleganter B. BYDDEVS in *Theolog. Moral. Part. I. cap. I. Sect. VI. §. XX. not. ult.* „Fallaciam, inquit, istam naturae serio evitemus necesse est. Ex defectu lacrymarum non est quod inferamus defectum tristitiae similiusque affectuum. Namque difficiles adeo per naturae conditionem nonnulli ad lacrymas sunt, ut summis maximisque calamitatibus ad eas moueri neque-

,3 ant,

„ant. Vnde et tristitia summa similibusque affectibus con-
turbari possunt, et si nullae sequantur lacrymae etc.
Inuerte statum: Dantur, qui leui infortunio affe-
cti, statim mirum in modum in lacrymas sol-
uuntur; neque in interno sensu id percipiunt, quod
tamen designare uidentur per externam actionem.
Vides, quam fallax erit, de his signis quorumcum-
que affectuum, desumtum iudicium? Sume iratum,
quem quidem in sequentibus demum in scenam pecu-
liarem producturus sum. Huius affectus signum diag-
nosticum in gestu uehementiori, uultu contracto,
ac sermone mugiente, forsitan quaerunt plerique. At
uero, quis non uidit tales, qui, irati scilicet! oculis
migrant et omnia necare uidentur, cum tamen men-
te interna maxime pacifici sint et minime commoti?
E contrario, quis non nouit alios, qui reuera exar-
descunt interne? et tamen tam astute dissimulare,
latentemque in corde affectum flagrantissimum tam
artificiose celare didicerunt, ut hunc animi motum
ne ulla quidem externa perturbatione uel uultus, uo-
cis, gestusque mutatione prodere soleant. Nemo
itaque uitio mihi uertet, si subtilitates has fallaces ap-
pellauerim. Sed praeterea dixi, hos affectuum gra-
dus uix ullum influxum habere in modum cognos-
cendi iudiciale de actione aliqua externa, quae uni-
ce obiectum constituere debet legislationis humanae
et cynofurae iudicis. Quod ex eo appetat, quia facile
iudicans decipi posset, si, externis forsitan signis, non
solum ad affectus praecise huius uel illius existentiam,
sed etiam ad determinationem iustitiae actionis, uel
iniustitiae eiusdem, tuto concludere uellet. Sufficiat
ipso, actionem, in suis externis circumstantiis consi-
dera-

deratam , a legis norma recedere , uel cum ea conuenire. Idque unice semper pro regula tenendum est, siue sint negotia mere ciuilia , tam unilateralia quam bilateralia , siue actus uindictam spirantes, et ad genera-
Quarta. ra delictorum accedentes. Denique concludo IV) in omnibus actionibus illis humanis , quae uel ipsis legibus naturalibus permisae sunt , earumque iustitia sustinentur , nullam haberi rationem affectus interni in agente ; modo agens seruauerit limites per istas leges naturales prae scriptos. Elegans exemplum mihi praebet moderamen in culpatae tutelae. Quibus legitimis terminis illud circumscribatur , cognoscimus partim ex ipsis praeceptis iuris naturae , partim ex *Constitutione Criminali art. 139. sq.* Si illi termini seruati sunt , et quidem iusta accusatione , quoad actionem externam , iudex in tali homicidio necessario parum sollicitus erit quo NB. *affectu* illud commissum fuerit , dum licite perpetratum : Siue homicida , in internis animi sensibus *uindictam erga aggressorem spirauerit* , siue non ; utrum summum uel leuem gradum irae in depellendo aduersario monstrauerit , an uero tranquillo potius animo , inter multas homine pio iustoque dignas , commiserationis , tristissimi doloris , et ueri luctus sensaciones , fatalem tandem ictum perpetrauerit. Externae actionis iustitia in aprico est. De internis animi motibus DEVS iudicet , non iudex humanus. Qui plura ad hanc rem pertinentia noscere cupit , adeat STRVVIVM diss. de *uindicta priuata et LUDOVICI* in diss. *Quatenus affectus in foro juridico considerentur.*

§. V.

§. V.

Ad speciem nunc deueniendum est, et, perlustra-*Transitae*
tis generalibus de aestimatione affectuum in foro ex-*ad Affe-*
Iram et Iratum sistere debeo cum suis actionibus *et ad Ira-*
terno, *Iram et Iratum* siste*re* debeo cum suis actionibus *et ad Ira-*
externis. Omnes mecum fatebuntur, in hoc meo *tum*.
argumento, nihil effici posse definitionibus physicis,
quae forsan statum hominis biliosi turbatum, inaeſtua-
tum, sanitati aduersum, et operationibus fatalibus
in corpus, animam mentemque obnoxium designant.
Neque mihi cum philosophis res est, qui turpitudinem irae graphice depingunt, et, ad eam extirpandam
uel cohendam, nos sapienter cohortantur. Suo
quoque loco relinquam splendidas rhetorum descriptio-
nes quibus utuntur, ut turpitudinem huius affectus
et effigiem hominis, p̄aeprimis summe irati, in dete-
ſtanda sua forma repræsentatam, ob oculos pone-
rent; et ut talem iratum, actiones uiolentas, nocuas,
atque turpes, in quas non raro erumpere solet, per-
petrantem, cum furioso compararent. Neque tandem
considerationes theologicas de ira et iratis, hoc loco
adoptare, mihi incumbit, licet alias debeam pie uenerari
sacrum effatum, *dass des Menschen Zorn nicht thue was für*
Gott recht seye. Iac. I, 20. Verlor ego in foro externo et iu-
ridico: Ac proinde secundum iuris humani principia,
et secundum ea, quae haec tenus generaliter de affectibus
a me prolata sunt, quilibet facile intelliget, partim
irae considerationem et aestimationem, *quatenus ea*
circa affectum animi internum occupatur, ad iurispruden-
tiam iudicialem proprie non spectare; partim, si uel
aliqua saltem irae ratio habenda esset, illius conce-
ptum aliter formari non debere, quam *quod sit affe-* *Descriptio*
ctus communiter externis iniurias excitatus, *interdum affectus*
Irae.

C

actio-

actiones ad vindictam tendentes, et tunc unice obiectum cognitio-
nis et diiudicationis forensis constituentes, producens. Contentus
quisque esse potest hac nostra descriptione, tametsi facile largiar LANTERBACHIO in diff. de Ira eius-
que in Iure effectibus §. IV. facilius intelligi, quid sit ira,
quam accurate definiri; Explicabo interim breuibus
ea uerba, quae in hac descriptione adhuc forsan ob-
scura uideri poterunt, quae tamen, ita explicata, no-
strae sententiae non parum lucis afferre uidebuntur.
Sit itaque ira affectus: Quo ipso remoueo omnes alios
conceptus de aliis affectionibus quibusdam, quibus
irati agitari nonnunquam possunt, eo uero statu non
tam amplius irati sunt, quam potius morbo afficti, uel
uero furore et mentis alienatione correpti. Hoc et ob
duplicem caussam accurate monendum duxi; partim,
ut appareat, me ambabus manibus concedere posse,
quod dentur, cum ratione interni hominis irati status,
cum ratione externae dispositionis, gradus quidam
huius affectus, (quorum quidem dimensionem magis
iratus sentit, quam quod eam extra illum quisquam
determinari possit) ita tamen, ut semper affectus ma-
neant, atque in nullum aliud genus constitutionis hu-
manae degeneret; ubi regula semper ualeat: Quae dif-
ferunt gradu, non differunt inter se. Partim deinde,
ut modeste dissensum meum, in foro iuridico con-
stitutus, declarare possim ius, qui in gradibus irae fin-
gendi ad talia delabuntur, quae non amplius con-
ueniunt uel conceptui irae uel eius definitioni. Ita
non possum subscribere illi sententiae Clarissimorum
alias Virorum, et inter hos B. BVDEI, qui cit. supra
loc. §. XXI. in fin. ita de ira ratiocinatur „quod ea si
, cito transit aut firmius animo insidet, aut excandescientiae

,, aut

„aut amaritudinis nomine ueniat ; et , si summus gradus ,
„uelut in furorem quendam degeneret , eademque , si circa
„res sacras uersetur , Zeli quandoque nomine ueniat . Meo
qualicunque iudicio , ira , quoisque manet affectus ,
nunquam ad conceptum furoris referri debet , ne-
que ratione constitutionis , neque ratione definitio-
nis , neque denique ratione effectus . Certe ! cum
hosculis illis rhetorics , quibus *ira furor brevis* di-
citur , et *homines brutis similes* sистuntur etc. in foro
iuridico prorsus nihil efficimus : Quamuis enim cer-
tissimum sit , iratum ad actiones profiliare minus
prudentes , eumque omnia , quae uult , celeriter
et inconsulto peragere ; quod exemplo incompa-
rabili illustrat ARISTOTELES Libro VII. Eth.
„Ira enim , inquit , audire quidem rationem uidetur , sed
„non recte percipere , quemadmodum secului ministri fac-
„unt , qui priusquam , quae dicuntur , audiuerint excus-
„runt , et denique ab actione aberrant : attamen furiosi
toto caelo differunt ab iratis hominibus licet
imprudentissimis , cum hi nunquam omnis rationis
usum eiurant ; illi uero non alias actiones edant ,
quam uniformes , eodem instinctu , quo suas actio-
nes edunt bruta animantia . Laudamus rethores ,
quod , eiusmodi descriptionibus , affectum irae foe-
dissimum , quantum fieri potest , detestabilem , et
proinde summo studio uitandum , sistant : At uero ,
iisdem expressionibus , decidere quid in foro externo ,
et , comparationibus rhetorics , legum decreta ex-
plicare , non est labor genuini iuris interpretis . Vi-
tandae ergo sunt consequentiae omnes , qualescunque
sint , quae a furore et dementia , a morbis , men-
tis alienationem efficientibus , ab ebrietate , eandem

mentis alienationem operante , ad iram , in quocunque etiam gradu consideratam , et in interno suo affectu spectatam , unquam duci uolunt , inuita iurisprudentia . Neque etiam ab externis signis , prout supra ostensum , in affectibus iudicia forensia certi quid concludere possunt , uel , ut inde quid concludant , opus habent . Hinc , si rem omni accusatione et sine praiejudicio considero , fateri cogor , parum uel prorsus nihil efficere totam distinctionem irae in magnam et leuem , in maximam et leuissimam ; scilicet in forensi disceptatione de natura , indole et iustitia actionum humanarum , secundum Leges determinandarum . Non nego , affectum irae posse suos habere gradus internos , ac proinde ita distingui , et in dimensionem deduci . Sed id nego constanter , affectus istius magnitudinem et leuitatem multum occupare debere considerationem uel iudicis , uel legislatoris , praesertim si de actionibus ad genus negotiorum licitorum spectantibus , sermo est . At , ne quidem in factis illicitis , unquam uidentur mereri indulgentiam ⁱⁱ , qui summum gradum irae allegant , et per id facinoris perpetrati excusationem impetrare se posse , sibi blandiuntur . Noto notius est , quam friuole , fere semper , eiusmodi practextus quaerantur a facinorosis , ad naturalem inclinationem atque sibi quasi innatam , nec domabilem , si Diis placet , affectum prouocantibus . Quis uero audiet illum , qui , ad crimen furti colorandum , auaritiam suam immensam allegaret ? Et quis quaeſo non rideret illum , qui frequentia sua stupra et adulteria ideo putat excusare , quoniam libidinem sibi innatam nulla ratione , ut credit , suppressimere ualeat . Eum in finem
haec

haec praesertim adducere uolui , ut inde elucescat , affectibus prauis , in se spectatis , minime parcendum esse a iudice pro tribunali sedente : Immo in peruersa et absurdia nos deduci , iniuriantibusque fenestras appetiri , si iusto plus illis indulgeretur. Proinde etiam ridere debemus temeritatem alicuius homicidae dolosi , qui facimus suum excusare uellet , allegata animi sui proclivi dispositione ad affectum irae , ui cuius , se nunquam in hoc affectu modum seruare posse , turpiter fatetur. Iudex itaque criminalis , in eiusmodi casu , detracta omni larua affectus , huic stultissime , licet summe , irascenti homicidae poenam actione sua promeritam , nempe ordinariam , nihilominus irrogabit. Iterum protestor , ne mihi quis obiiciat frustra , frequentes istos casus mitioris poenae , summe iratis non nunquam infictae. Repeto enim non solum supra dicta de cauta iudicis prouidentia in decernenda mitigatione propter iram ; sed et id addo , quod illa ipsa ratio mitigandi , re penitus inspecta , reuera profluat ex considerata *iustitia* affectum excusante et interdum legislatorem potius ad exercendum ius aggratiandi , quam iudicem ad mitigandum , permouente ; non ex magnitudine et gradatione affectus irati.

§. VI.

Descriptio irae , a me exhibita , haec quoque uer- Communi-
ba continet , excitari iram externis communiter iniuriis : quo ter excita-
ipso id innuere uolui , non omnem iram hominis pre-
supponere iniuriantem , quippe cum saepius homines
irascantur sibi ; saepe moueantur sinistris fatis ; saepe
proprias suas actiones tanta uehementia damnent , ut

C 3

in

in propria quasi viscera grassari uideantur. Huius generis actiones , siue potius solos hos motus , prorsus nullum obiectum uel legislationis uel iurisprudentiae humanae constituere , ne ii quidem negabunt , qui toti alias a me dissentiantur. Quod uero attinet uocabulum *iniuriarum*, quo usus fui , nolo hic prolixus esse in explicandis uariis eius significatibus. Neminem fugiunt haec , omnem iniuriam esse uel *generalem* uel *specialem* ; iniuriamque *generalem* uocari omne id , quod non iure fit *pr. Inst. de Iniur.* *Specialem* uero denotare dictum factumque ad alterius contumeliam dolo malo directum . *L. 1. pr. de Iniur. et fam. lib.* Factum hoc dictumque rursus est uel per se *iniuriosum* , uel *dubiae significationis* , quod , contra alterius intentionem , malam in partem quis interpretatur : illam iniuriam appellant *revera talem* , hanc *apparenter talem* , etc. Quoniam uero omnes hae species affectum irae suscitat facile ualent ; neque inde aliqua notabilis utilitas in meum thema redundare potest , postquam nempe mentem meam satis superque iam exposui , afferendo , affectum irae , cum reliquis omnibus affectibus , considerationem aestimationemque in foro externo specialem non mereri : hinc omnia haec mitto et potius paucis adhuc explicationi eorum uerborum , in descriptione irae contentorum , immorabor , quibus statuitur , *iram interdum ad actiones vindictam spirantes prorumpere* . Non semper ira prorumpit in actiones : Saepius animo continetur , et sedem suam in pectore retinet , licet caeteroquin sit flagrantissima . Iam si non prorumpit in actiones externas , nonnisi Domitius dubitare posset , quod hic affectus sit res admodum indiferens in foro externo . Quod si uero iratus ad actiones ,

*Interdum
ad Actiones Vindi-
ctam spi-
rantes pro-
rumpens.*

nes, adeoque ad proprium illud obiectum legislatio-
nis et iurisprudentiae, procedit; tunc sola earum iu-
stitia et iniustitia, quatenus una uel altera in legibus
humanis determinata est, considerari debet; detrac*to*
omni conceptu irae, quatenus illa affectum constituit,
et de reliquo suum conceptum moralitatis, me non
impediente, seruare potest. Nunc utiliter applicabun-
tur quae dixi de ualde exigua, uel prorsus nulla, utilitate
forensi distinctionis irae in magnam et leuem, item-
que in iustum et iniustum, sicuti sumitur secundum
disciplinam moralem. Certissime persuasus sum,
hanc thesin uerissimam esse et recto stare tali, omnes
actiones humanas, forensi cognitioni subiiciendas,
suas iam habere determinationes certas sufficientesque
in legibus, citra omnem respectum ad aliquem affe-
ctum, qui eis natales dederit. Adhuc repeto uerba:
citra respectum ad aliquem affectum; ne quis me obiurget,
ac si confunderem cum affectibus alios fontes fatis-
pectabiles actionum humanarum, u. g. dolum, pro-
aeresin, errorem etc. Quod in specie ad irati actio-
nes attinet, palam est, posse quemcunque agere et de-
linquere sine ira, ut sit in assassinio; et contra, non
solum posse quem in iniustissima ira moraliter sumta
delinquere actionesque in foro externo iniustissimas
edere, sed etiam in iniustissima ira non delinquere se-
cundum eandem determinationem legum. Proinde
rationibus ita subductis confirmor in hac sententia, solas
actiones irati secundum legum prae*scripta aestimari* de-
bere, posthabita iuutili consideratione et aestimatione
affectus irae. Nec dimoueor ab eadem sententia per so-
lenne illud effatum PAVLI Iureconsulti in L. 48. D. de R. I. Non atten-
quando dicit: *Quicquid calore inguindiae uel fit uel dicitur non denda Lex*
prius 48. de R. I.

*In Foro
externo
humano
sotae spe-
ciantur
Actiones
Irae, circa
respectum
ad Affec-
tum Irae.*

24 SECTIO I. DE AFFECTIBVS ET SPECIATIM DE IRA

Notatur
PAVL
LVS.

prius ratum est, quam si perseverantia apparuit iudicium animi fuisse. Fateor, primo obtutu uideri, hanc legem penitus destruere mea haec tenus posita fundamenta omnia, adeo, ut totum aedificium corruere debeat. Sed salua res erit. Apparebit, eos, qui iam inextricabilibus rebus me implicatum credunt, a praematuoro gaudio sibi temperare debuisse. Primo enim non possum non mirari, Iureconsultum Stoicum ita posse philosophari de affectu irae, qui secundum sua principia defendere debet, et defendit quoque, *sapientem esse imperturbabilem*, atque adeo *omnes ipsius actiones esse voluntarias*. Immo quod maximum est, quomodo PAVLVS cum PAVLO conciliandus erit? Hic PAVLVS ipse, secundum ista sua principia Stoica in L. 21. §. 5. D. quod met. caus. non ueritus fuit, in doctrina de metu et metu gestis, aperte statuere, *coactam voluntatem etiam esse voluntatem*. Quomodo, quaeso, haec omnia cohaerere poterunt? Deinde secundo, si centies PAVLVS hanc doctrinam suam mihi obtruderet, quod calore iracundiae facta non prius rata sint, quam si agens in sua actione perseverauerit, ego, contrarium in ipsis rerum argumentis obtainere conuictus, numquam ipsi tam facile adstipularer. Aut enim factum est licitum, per leges permisum, et secundum leges bene recteque suscepimus; aut est factum illicitum delictumque spirans: Si prius; quis unquam statueret, factum illud legitimum, solummodo ideo, quia irati factum est, fieri illegitimum, illicitum, non ratum: Sin posterius; ex PAVL sententia necessario sequeretur, delictum irati, iam perpetratum, *impune esse*, si modo superueniat poenitentia; quod palam absurdum fallsumque est.

Ter-

Tertio denique ultima legis uerba clare demonstrant, PAVLO in mente fuisse, casum specialem, ob quem praecepitanter (cur enim Paulus non posset labi?) credidit, opus esse, ut regulam tam generalem formet, qua deinde alii adeo leuiter abuti non debuissent: Applicat nimirum statim assertum suum PAVLVS ad lepidum casum de uxore, quae non diuertisse uidetur, si breui tempore reuerfa sit ad maritum, cum quo antea bellum quoddam domesticum, neque inter christianos hodie coniuges adeo infrequens, aliqua acerbitate animi gesserit. Scio equidem, summae auctoritatis Iureconsultos hac lege PAVLI frequentissime uti ad destruendam ualiditatem actuum, in ira susceptorum, in primis uero testamentificationum: Sed laborabo omnibus uiribus in Sectione quae sequitur, ut dubiis, ex hac lege mihi obmouendis, ex aſſe ſatisfiat. Hoc loco id tantum adhuc probati et fundamento accipendum eſſe arbitror, quod, quicquid omnem rationis uſum non penitus tollit, ſed ſolummodo in claſſe affectuum moralium ſubſiſtit, illud actionibus non aliam formam legalem, non aliam qualitatem iuſtitiae tribuit, quam qualem habent ex ipſa lege, qualemque etiam haberent et retinerent, licet uel maxime ex illo affectu non fuiffent profectae. Atqui uero affectus nullus qua talis, conſequenter nec ira, rationis uſum prorsus tollit et actionem inuoluntariam reddit; uerum potius impedit tantummodo deliberationem plenam, consultum iudicium et prudentem circumſpectionem: Quae omnia tamen non habent influxum in naturam actionum iuridice, ut ita dicam, imputabilium, in foro extero conſiderandarum, atque ad legum praeſcripta

D

ſcripta

26 SECTIO I. DE AFFECTIBVS ET SPECIATIM DE IRA

scripta applicandarum. Si desideras exemplum, haec dicta apposite illustrans, nimirum quod non omnia ea, quae summa deliberatione et animo consulto non sunt peracta, statim ab applicatione legum sint remouenda, siste tibi actiones et negotia hominis ad modum simplicis et ingenii hebetioris stupidique. Huius namque uel testamentum quoque esse validissimum, et pro tali a doctoribus celeberrimis agnoscere, in sequenti Sectione suo loco monstrabo.

§. VII.

*Ex dictis
fluant
Quatuor
Conclusiones.
Prima.*

Vt ea, quae ex praefectis principiis meis de natura actionum irati fluant, in compendio quasi intelligantur, ultimo loco sequentes *Quatuor Conclusiones*. Prima *Conclusion* haec est. Actiones Irati omnes, non sunt actiones inuoluntariae, sicuti actiones furiosorum, morbo mentis exilium inferente correptorum, summe ebriorum etc., sed maxime *uoluntariae*, adeoque necessario tales, quae agenti in omni foro externo imputari queunt. Exosculor NB. in hac re consensem l ureconsulti, antiqua uirtute et claritate in omnibus scholis Germaniae celebratissimi, B. LAVTERBACHII, diss. de *Ira* §. XII. postquam dissentientes eorumque rationes adduxit, rotunde asserit, illis non obstantibus, se firmiter statuere, *actiones Ira torum ad uoluntarias potius, quam ad iniuitas sue inuolunta rias, pertinere*. Nolo omnia eius in hanc rem dicta excerpere uel describere: Solummodo id a me impe trare non possum, quin Eius propriam conclusionem heic repeatam: *Cum itaque, inquit, excandescentis ignorantia, si aliqua est, non sit inuincibilis in sua causa, et uoluntatem antecedens, quae actionem facit iniuitam, sed uincibilis*

cibilis et voluntatem sequens, ita, ut, ipse licet ignorans, non tamen per ignorantiam agat; sequitur quoque, ut eius actio non sit iniusta, sed voluntaria potius etc. Altera Conclusio *Secunda.* pertinet ad negotia Iratorum sub distinctione aliqua consideranda. Nam ex illa ipsa prima conclusione nunc sequitur rursus, negotia omnia ab irato ita ualide et cum legitima applicatione ad normam praescriptam, in foro iuridico, suscipi ac celebrari, siue sint ex ciuilibus *unilateralia*, siue *bilateralia*, siue denique ad classem *delictorum*, cum effectibus suis poenalibus, referenda; ut non aliter considerari debeant; ac si gesta, suscepta ac celebrata fuissent a non irato. Quid intelligam per modo adductam distinctionem negotiorum et actuum, in quibus occupatum deprehendere possumus iratum, clarius in sequente Sectione expositurus sum. Tertia Conclusio respicit *uindictam*, *Tertia.* quam in omnibus actionibus irati tam mirifice extollunt plerique interpretes, quibus mea sententia de actionibus Irati displiceret. Ego uero concludo: Vindictam fingere in negotiis proflus indifferentibus, in actionibus lege permisso, et secundum leges ualide institutis, ita, ut eiusdem vindictae consideratio inde obiectum esse debeat forensis cognitionis, rem esse absurdissimam. Qui enim nullum ius sibi quae- situm contra me allegare ualet; qui nullo iure gaudet me impediendi in agendo, siue ego iratus agere uelim, siue non iratus; ille lepide contra me allegaret, actionem meam, unice ideo, quia ipsi displiceret, ex vindicta, ab homine irato, sine deliberato consilio etc. profectam fuisse. Quarta denique Conclusio haec esto: *Quarta.* Proprie ad fori externi considerationem et legitimam ponderationem plane non pertinere, ut illud sollicitum

fit de actionibus hominum, uel bene deliberatis, uel non bene deliberatis, cum ei absisse sufficere debeat, actionis auctorem esse hominem sanae mentis, et talem, qui actiones uoluntarias edit. Certe! qui tam magnifice loquuntur de actionibus considerato consilio et cum omni circumspectione suscipiendis, cogitare deberent, et saepius repetere, celebratam iuris regulam: *Quod iure uigilantibus sint scripta.* Saepius quaedam referenda sunt ad officium prudentis iudicis, quae tamen non statim ad regulas stricti iuris et iustitiae ita pertinent, ut ad omnes casus tuto applicari possint. Ita u. g. prudentia iudicis saepius suadere potest partibus deliberationem accuratiorem in causis arduis et quae uel conscientiam uel animae quoque periculum non raro tangunt: sed, quae suadenda sunt, non statim et imperari possunt. Haec eum in finem adduxi ut appareat, quid ego sentiam de iudicio illustris Iureconsulti WERNHERI, qui *Select. obs. Volum. III. part. IV. obseru. 151. num. 70.* iratum ad iuramenti praestationem neutquam admittendum esse, et quicquid in tali statu iuratum est, uim nullam habere, defendit, partim propter c. l. 48. de Reg. partim propter legem 2. C. ad L. Iul. Majest.

SECTIO II. DE TESTAMENTO IRATI VALIDO.

§. I.

*Transitus
ad testa-
mentum
irati.*

Ita res meas in praecedente Sectione, ut spero, composui, ut ex principiis, et conclusionibus ibi praefixtis, haud difficile nunc erit, in applicatione rectum iudicium ferre de testamento irati. Quid

Quid sit testamentum, res est tyronibus nota. Definitio finitur, quod sit voluntatis nostrae legitima et iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri uult in uniuersis bo-testamenti. Notissimum quoque est, in omni legislatione, imprimis Romana, innumerabiles subtilitates et strictissime obseruanda requisita solennitatesque desiderari in condendis ultimis voluntatibus; partim ut euitentur fraudes suppositiorum, partim, ut negotium istud, quo legitimo ordini suppositionis derogari debet, sit clare, distincte, et, remota omni dubitatione, luci expositum. Haec ipsa requisita tanta accurateatione testatoribus sunt seruanda, ut, poshabitis illis, uel in minimo puncto recedendo, periculum immineat prorsus frustaneae testamentificationis. Neque permissum est, in legum harum testamentariorum stricta norma testandi, quae naturam ueri praescripti induit, quidquam priuato ausu mutare, uel quasi iuri pro se introducto renunciare. Vnde intelligimus quid sibi uelint uerba L. 3. D. Qui test. fac. poss. Distinctio Testamenti factiōnēm, non priuati, sed publici iuris esse. Id inter publ. et priuata. ipsum de omni testamento praedicatur, siue sit publicum, siue priuatum; illudque Iudicii uel Principi oblatum, hoc uero uel solenne, uel minus solenne. Plura Huius in de his generalibus adducere et omnia sigillatim percensere, nimis longum, et a scopo meo reuera alienum foret. Neque haec pauca adduxisset, nisi in tantum alicuius necessitatis et utilitatis ea esse posse iudicauerim, in quantum, iratum postea in scena testantium producturus, generali hac praemonitione me uti posse uideor, quod nempe ista omnia intellecta quoque uelim de Testamento Irati. Si quis uero absolute a me postularet, ut praecepta ista latissime patentia, quae

D 3 testa-

testamenti factionis cuiuscunque legalia requisita complectuntur, in compendium quasi quoddam redigam; etiam in hac re facillime me expedire potero, si ista requisita, quibus omne testamentum ularidum innititur, ad tria primaria capita reducam. Nimurum desideratur

Tria primaria requisita cuiusvis testamenti.
Quae ex licantur.

I) *Habilitas testandi in testatore;* II) *Qualitas bonorum, liberrimae testatoris dispositioni relictorum;* III) *Iusta forma ipsius testamenti, legibus determinata.* Paucissimis explicabo singula haec capita. Quoad primum nota; Habilitatem testatoris nonsolum simul completi facultatem personalem testandi, adeo, ut excludatur omnis is, quem leges, propter aetatis, animi corporisque qualitatis, status et conditionis etc. defectum, incapacem declararunt; de qua re doctores prolixii sunt ad *Tit. Inst. quibus. non est perm. fac. test. et ad D. qui testam. fac. poss.* uerum etiam eandem habilitatem praeprimis desiderari tempore conditi testamenti. Quoad secundum nota: Quemadmodum generaliter omnis dispositio, siue inter uiuos siue mortis caussa, nullum habet effectum, si est de re aliena; ita etiam non statim ularere argumentum a restricta facultate disponendi inter uiuos, ad restringendam quoque facultatem disponendi in ultimis uoluntatibus; haec enim laxior est illa; partim quia regulam adoptarunt iureconsulti et interpretes legitimi ultimaru m uoluntatum, haec elogia testatorum omni modo, quod fieri unquam possit, seruanda, et pro ularidis pronuncianda esse; partim quia is, qui ultimam suam uoluntatem declarat, nullam incurrit laesio n in facultatibus suis, cum post mortem demum uigorem suum accipit testamentum, quo tempore nulla laesio amplius metuenda est in patrimonio. Illius exemplum est

est in legato rei alienae §. 6. Inst. de Legat. L. 14. §. 2.
de Legat. III. huius uero in minorenne, qui recte te-
statur, licet non disponat libere inter uiuos l. 4 C.
qui test. fac. poss. Quoad tertium nota; Quod mihi
iustum et legitimum idem sit intuitu formae, nimurum
quando haec perfecte conuenit cum praescripto le-
gum; licet quis distinguere posset inter id quod iu-
stum est in uoluntate ultima quoad formam internam,
atque inter id, quod legitimum est quoad formam
externam. Applicationem aliquam haec suppeditarent
intuitu testamenti nulli et inofficiosi, dum illud uo-
luntas *non legitima*, hoc uero *non iusta* uoluntas est,
licet sit legitima. Verum his subtilitatibus nolo plu-
ribus immorari. Sufficit, jam sciri, quid sit testamentum.

§. II.

Desiderabitur in ordine ut quoque sistam testa- *Quid sit*
mentum irati. Hoc ita deseribo: *Est hominis sanae men-* *testamen-*
tis, licet in uebementi animi affectu interno constituti, iusta *tum irati.*
et legitima sententia, de eo, quod is post mortem suam fieri
uult in omnibus bonis suis. Explicabo, et, breuiter re-
petendo supra exposita principia, applicabo theses *Monita*
de actionibus Iratorum ad specialem hunc actum te- *circa defi-*
standi ab Irato suscepimus; ut lux affundatur defin- *nitionem.*
tioni. Primo monendum est, testamentum Irati *Primum.*
prouti nunc descriptum et ob oculos positum legitur,
nullo modo confundendum uel comparandum esse
cum testamento furiosi, mente capti, summe ebrii,
morbo fatali ad exilium usque mentis correpti etc.;
horum enim actiones omnes per se sunt actiones bru-
tales, qua propter in definitione iratum appellauimus
bominem sanae mentis. *Quasi furiosum, quasi mente*
ca-

captum etc. in genuina doctrina iuris non admitto, quia tertium non datur, sicuti inter mares et foeminas dari dicuntur hermaphroditi: Neque habemus in iure nostro legum decreta, quae huic tertii generi hominum, qui nec mente gaudent, nec mente destituuntur; applicari possunt. Vereor tamen, ne mihi quis alto supercilio obiciat et digito monstraret *princip.* *Inst. tit. de Inoff. testam.*, ubi parentes, inofficiose testantes, tanquam homines *quasi non sanae mentis* expresse sistuntur. Verum video ex toto corde talem obiectionem, quiae ex illo ipso *princ. cit.* refutari potest, cum expresse dicatur, *hoc colore*, i. e. fictione, (*in se fatis lepida*) parentem solummodo dici *quasi non sanae mentis* sit, *non quasi uere furiosus sit, sed recte fecerit testamentum*. Certe impossibile esset, ut talis parentis, si uel saltem *quasi furiosus* haberetur, *ualide*, ex mente Patronorum huius spectri, id est, *quasi furoris*, condere potuisset testamentum: Et tamen condidit. Si itaque iratus nec uere, nec *quasi furiosus* est, nemo me reprehendet, si testamentum eius dixi esse *hominis sanae mentis*. Praeterea non patior comparationem inter iratum, et *summe ebrium*: nam et in hoc ueram mentis alienationem deprehendimus temporalem, adeo, ut eiusdem actiones eodem modo brutae sint, uti ipsius furiosi, ac proinde *inuallidae*, ratione *durationis*, siue quod non sustineri possint, u. g. in contractibus, sponsalibus, consequenter et testamentis; utut, si illicitae actiones et ex genere delictorum patratae sunt, imputari omnino debeant agenti ebrio, ob *antecedentem consensum in ebrietatem, mentis alienatae causam*. Secundo monendum est: Non opus esse uel fuisse, ut, cum ipsis distinctionibus inter *iram magnam* et

et leuem, iustum uel iustam alicuius testatoris, generalem ambitum definitionis datae de testamento Irati operose restringam. Supra monstratum, has distinctiones proprium et specificum influxum non habere in actionum humanarum, liberae dispositioni eorum, qui agunt, reliatarum, aestimationem in foro externo; et ob eam rem idem in utroque casu iudicium esse debere, an talem actionem libere agentis dispositioni relietam, ut est testamenti factio, suscepit *iratus*, uel non *iratus*; uebementer *iratus*, uel leuiter; *iuste iratus*, uel *iniuste*. Sufficit testamentum hominis sanae mentis adesse, licet testator summe iratus quoque fuisset. Sufficit solemnitates et requisita legis adesse, et disposuisse testatorem de rebus suaे alienationi liberae relictis. *Tertio* monendum est: Nihil interesse in constituenda huius testamenti uera indole, utrum illud postea, dispulso irae affectu, confirmatum uel non confirmatum, sed potius, ob perseverantiam quasi*iustae sententiae* ultimae habitum demum induerit, *Arg. l. 48. de R. I.* Ego enim omnem meum respectum, omnem meam considerationem, in definiendo testamento irati, direxi ad solum tempus conditi testamenti, ita, ut a tempore, quo conditum est, sit testamentum hominis sanae mentis, ac proinde non indigeat, uel confirmatione, affectu irae deposito, uel ualiditatis determinatione a perseverantia post iram. Ita colligere poteris, inter testamentum irati, et testamenta eorum, qui tempore, quo condunt testamentum, non fuissent habiles, nisi postea, uitio uel impedimento remoto, alias actus ualorem testamento concilians accesserit, maximam esse differentiam. Desideras exempla. Testamentum summe ebrii uires nouas accipit, si testator, dispulsis nebu-

E

nebu-

nebulis ebrietatis, et mente reuersa, uoluntatem suam luculenter et solenniter repetit. STRYK. l. c. §. 30. Eadem obtinent de testamento in furore condito, et ualorem suum tunc accipiente, quando, cessante furore, repetitum mentis iudicium, uti fas est, declaratum fuit. Haec talia STRYKIVM auctorem inter dissentientes facile principem tract. de Caut. Test. cap. III, §. XXXII. sine dubio permouerunt, ut idem de testamento Irati, quem, ex suo principio a furioso non distinguit, stricte desideret, nimurum ut ad irati testamentum confirmatio, et quidem omnibus adhibitis solennitatibus, accedat: cui dissentienti tamen paullo infra sigillatim respondebo. Mea autem sententia iam in aprico est, quod testamentum irati prorsus nulla egeat ratihabitione, uerum potius suum ualorem a statu testatoris et tempore, quo ipsum conditum fuerit, iam deriuare possit.

§. III.

Fingitur
causus testa-
menti in
ira confe-
ssi.

Dubito, et quidem non sine ratione, an dari queant homines, qui prorsus negarent exsistere posse in rerum natura aliquod testamentum irati; immo risu eos exciperem; quia mihi persuasum est, inter decem testamenta eorum, qui haeredes extraneos instituunt praferuntque legitimis, uix duo deprehendi, quae non aliquo affectu irae et indignationis (graduum discrimen ego non adeo curo, ut dixi) condita sint. Experientia satis condocet, eum in finem plerosque testari, ut haeredes ab intestato, quibus ne obulum quidem, bona sua gratia, acquiri patientur, a sua quoque haereditate in aeternum excludant. Quoniam autem admodum possibile est, dari quoque testamentum irati, de quo graduum irae mensores subtilissimi per-

perhibent, eum fuisse tempore conditi testamenti
summe iratum; quid impedit, quin talem casum ualde
possibilem fingamus, et in sequentibus eiusdem spe-
cier ob oculos positam retineamus. Fac itaque,
duos agnatos, siue inuicem spem succedendi ab inte-
stato habeant, siue non habeant, siue denique spem
succedendi unus uel alter ex testamento promittere
sibi potuerit, Titium et Caium, in grauissimas rixas
prorupisse, adeo, ut tandem Caius, a Titio lethaliter
uulneratus, in mortis ineuitabile periculum inciderit:
In hoc discrimine, et cum Medici affirmassent, Caium
non amplius ultra septem horas uiuere posse, hic uul-
neratus ad condendum testamentum fese accingit, ut-
ut in summo irae affectu constitutus sit, omnibusque
talis appareat. Concurrunt uocati testes; et, summe
iratus Caius, de caetero uero neque in agone, neque
in delirio, inflammations uulnorum semper fere con-
comitante, constitutus, conf. STRYK. *Caut. Test. cap.*
3. §. 24. ultimum suum elogium, iusto ordine et ex
legum praescripto condit, in coque haeredem extra-
neum, et talem, quem sibi amicum et dignum iudicauit,
scribit; praeterito quounque haerede ab intestato non
necessario, et, uel inter hos ipsos, Titio, uulneris et immi-
nentis mortis suae auctore. Vix absolutum fuit negoti-
um hoc testamentarium, cum Caius animam ex hoc
uulnere effaret, et sic suo actu testandi occasionem praee-
beret, disceptandi inter haeredes: An ualeret hoc testa-
mentum? et cuinam haereditas deferenda sit, num haer-
edi scripto in hoc testamento? an haeredi alicui scripto
in priori (si forsan tale quoddam adfuerit) testamento?
an haeredibus ab intestato? Hic Rhodus, hic saltus!
Fere eiusdem argumenti casum sibi sistit ipse STRY-

E 2

KIVS

KIVS cit. C. §. XXXIII. Sed quomodo se habeat Eius decisio, paullo post uidebimus: Meo iudicio, et secundum mea principia, responso ad quaestione*m* istam non est difficilis; nimurum: *T*e*s*tamento*m* Irati, in quo*c*un*q*ue gradu iracundiae constituti, iusta uel iniusta ira correpti, sive in haeredem legitimum et priorem, sive in tertium, a quo*c*un*q*ue ad iram excitati etc. omni iure ualidum esse, et haereditatem ad scriptum in eo haeredem pertinere.

§. IV.

*Rationes
decidendi
proponen-
tute ex an-
te deductis
baustae.*

Prima.

Intrepide, et sine ulla limitatione testamentum irati ualidum pronuncianti mihi, nunc duo maxima incumberere praesentio, nempe, ut I) rationes assertum meum probantes exponam; deinde II) ut Dissentientibus obuiam eam, ad eorum argumenta, certis quibusdam excogitatis distinctionibus speciosa reddita, distincte quoque responsurus. Vtrumque parum negotii mihi faceisset: Inprimis breuissimus esse potero in priore. Quid enim impedit, quo minus ad sola ista principia eorumque consecutaria, in praecedentibus sat dilucide, ut opinor, proposita, prouocem? relictam unicuique ampla libertate, argumenta ex ipsis deductis contemplandi, examinandi, ponderandi. Validum itaque I) pronuncio testamentum irati, quia testamentifactio est actus liberrimus, legibus permisus, et hoc intuitu *indifferens*. Hoc ita intelligas rogo, quod, licet leges humanae certas solennitates, certa requisita, praescriperint modo et normae testandi; attamen ipsa determinatio de testamento aliquo condendo uel non condendo, Legislatoribus adeo *indifferens* sit, adeo testamentum berrimo Testatorum arbitrio relictum, ut ne quidem illorum ulla ratione intersit, quo animo et quo affectu hi suos haec-

haeredes elegerint scripserintque. Is itaque uano conatu contra me pugnabit, qui obiectiones suas contramodum et formam testamenti irati dirigeret. Quod si enim contra hanc testator iratus peccauit; si liborum legitimam laefit; si ob causas legibus non permisssas liberos exhaeredes scripsit; si haeredis institutio nem omisit; si solemnia neglexit, etc. uitium omnino oriretur ex qualitate *acris*, non ex qualitate *agentis*. Validum II) pronuncio testamentum irati, *quia Secunda ad testandum haud requiritur animus deliberatus.* (§. ult. Sest. I. n. 4) Singularem scilicet ingenii praestantiam, circumspectam et consultam considerantiam, iura non desiderant in testatoribus. Liberum relinquunt iis eligendi, quem uelint, haeredem, nec insaniam mentis statim colligunt, si quis testator magis dilexit extraneos quoscunque, praelegitimis. Dic imprudentem, dic iniquum, parum fidelem, dic impium illum testatorem, qui cognatis suis proximis, cum summa paupertate colluctantibus, diuites extraneos praeferre non dubitauerat. Per me licet. Licet quoque per leges. Hae nec pietatem nec prudentiam, perfecto iure, efflagitant. Et, quod ad animi consultam, maturam, et ab omni praecipitantia alienam *deliberationem* attinet, omnes, qui alias a me dissentire deprehendens, imo et ipse magnus STRYKVS cit. l. §. 25. sq. fatuorum, stupidorum, hominum simplicium, ebriosorum, agonizantium fere, puberum, adeoque et foeminarum, annum duodecimum uix egressarum, uid. l. 5. ff. *qui test. fac. poss. testamenta ualere optimo iure, decernunt.* An tu nunc, in tota hac turma hominum enumeratorum, unum nominabis, in quo tam consultum, et tam magnifice euectam animi libe-

Tertia.

liberationem euincere, uel saltim praesumere posse? Infra STRYKIVM propriis suis rationibus, adeoque proprio suo gladio, iugulabimus. III) Validum pronuncio testamentum irati, quia, dum, praetereundo legitimos non necessarios, extraneosque scribendo haeredes, nullius ius quaeſitum laedit Iratus Testator, etiam nulla illi imputari potest *Vindicta*. (§. ult. num. 3. Sect. I.) Vix mihi temporo, quo minus ferio et ipse irascar iis, qui, in hoc argumento uerfantes, semper eadem chorda aberrant, plenisque buccis clamitant *Vindictam!* Quaeſo, monstrent, ubi fit uindicta? ubi fit ius quaeſitum ſuccelluris ab intelſato? ubi fit uis prohibendi agnatum, ne irascatur? ne testetur? ne mutet uoluntatem priorem? Qui de actu, a uindicta procedente, ad uindictam tendente, adeoque ad legiflatorum humanorum iudiciumque confederationem reuera ſpectante loqui uult; is correlatum monſtrare debet, i. e. ius uindictam allegantis *quaeſitum*, perfectum, ſine iniuria non auferendum. Sic querela inofficioſi fundata eſt, quia auferri uult ius Legitimae quaeſitum. Sic iniuriarum agit laceſſitus; quia ius quaeſitum habet, uitam, corpus, famam, contra aggressorem defendendi. Si hae facultates morales et obligationis perfectae ceſſant; cum laruis pugnarent, qui uindictam appellant, ubi nulla eſt: *Vindicta enim* habet ideam, ut ita loquar, correlatiuam. Interna forſan irati uindicta ad animi pathemata referenda eſt. In foro extero perſiſtimus in regula: Qui iure ſuo utitur, nemini facere uidetur iniuriam. Caeue itaque, ne, in eiusmodi praeteritione haeredum, legitimorum quidem, aſt non necessariorum, abutaris uocabulo *Exhaeredationis*. Quibus nihil debetur, ii, ſenſu iuri-

iuridico, non exhaeredantur. Non ignoro quidem, frequenter dici in uita communi, *Er habe dieses oder jenes Kind bis auf den Pflichtbeit enthebt.* Sed ita non loquitur Iureconsultus.

§. V.

Testamentum irati tandem IV) ualidum pro-nuncio, *quia irati actiones sunt actiones uoluntariae, neuer-Quarta.*
tiquam in uoluntariae, uel actiones iniuiti. (§. ult. n. I.
 Sest. I.) Hanc positionem, cum eam, ut spero, ab omnibus non solum objectionibus et dubiis supra liberauerim, sed etiam ipsi contrariae sententiae fautores larga manu eandem concesserint, uid. LAVTERB. cit. dif. §. XII. prolixius urgere, uel specialioribus conclusiobibus, uni cuique aequo rerum aestimatori in oculos facile incurrentibus, illustrare, superuacaneum duxi. Eandem uero positionem, nimirum *omnes* irati actiones esse uoluntarias, argumentis, ab indele et natura bilateralium negotiorum quoque petitis, breuiter explicare et firmare, eo magis necessarium arbitror, quo maius inde robur meae, de testamenti irati ualido, sententiae accedere posse, praeuideo. Nempe intrepide assero et defendo, ne quidem bilateralia negotia, duorum uel plurium consensu constantia, impugnari posse in foro externo et iuridico, ex hoc solo fundamento, quod contrahens iratus fuerit. Finge Conferman-tur haer-
 Donationem. At quia hoc negotium gratuitum est, a Dona-tione,
 et liberalitis potissimum affectu sustinetur, finge con-argumenta
 tractum onerosum, u. g. Emtionem Venditionem. Fac, me Titio, cognato meo, spem fecisse de aedi- a bilatera-
 bus ipsi uendendis: Negotium in nudis tractabibus nego-terialibus
 subsistebat: Titius interim qualemcumque mihi caus- negotii
 fam *ab emtione venditione.*

sam dedit ipsi irascenti : In calore iracundiae ego aedes meas uendo Sempronio , homini extraneo , forsan parum uel nihil scienti sollicitoque , siue quo affectu ad uendendum inuitatus fuerim , siue quae inter me et Titium antea agitata essent . Nec quid in hac specie mutandum esset , si quoque Sempronius , *temp*tor meus , unam uel alteram ex his circumstantiis sciuit . An tu putas irritum esse hoc negotium , quia iratus uendidi ? Ego non puto . Quis enim de ira mea et de qualitate actionis inde resultantis , iuste conquerendi occasionem sumeret ? Forsan Iudex ! At huius nullae sunt partes , ne quidem implorati , nec competentia gaudentis procedendi ex officio . Forsan Titius ? Sed quale ius prohibendi ille allegaret ? quo iure is me impedire uellet , quo minus libere uenderem , permutarem , donarem ? Nullum ius Titio quaesitum , nullam ueram laesionem ex uenditione mea , Sempronio facta , sentit : *Vindictam* itaque fruole allegaret . Forsan Sempronius ? At uero hic nec uult , nec potest , inuisidum dicere negotium , quod mecum contraxit . Non uult ; quia ex uenditione mea forsan commodum sentit : Alias enim non emisset : Non potest ; quia absurdum esset , iram meam in suum fauorem allegare , et ob eam a contractu resilire : Derideretur et a limine iudicii repelleretur decantata illa exceptione de iure tertii , si talis tertius existeret . Forsan ego quem ipsum negotii poeniteret , sentiendo laesionem ex contractu praecipitato . At uero quam inane eset , propriam turpitudinem allegare , et fidem datam fallere uelle (tam fruole allegata caussa) qua tamen fide nihil sanctius a maioris nostris habitum fuit ? Hinc quemadmodum ego repellerer in propria culpa uerfatus

tus, quod rem non accuratius ac maturius perpende-
rim, iraeque meae propriae indulserim; ita ex aduer-
so alter, emtor Sempronius, iure quaesito et stabili,
adeo perpetuo gaudere debet, ut id nulla auctoritate,
ne Principis quidem, auferri queat. Finge quoque
Sponsalia in ira contracta. Dari posse talia spon-
salia, nemo facile in dubium uocabit; utut hoc
negotium magis amorem rectorem habere debeat,
quam calorem irae. At quis ignorat, saepius contin-
gere, ut quis, cognatis suis proximis iratus, in eorum
quoque detrimentum, et ad spes frustandas succes-
sionis, puellae cuidam matrimonium promittat, festi-
nanter celebratis sponsalibus, iisque publicis, solen-
nibus, nulloque de caetero uitio laborantibus. Ha-
bes hic iterum ius quaesitum sponsae, ex contractu
sponsalitio plenissime natum, neque adeo illi parti au-
ferendum, apud quam non steterat, in alterius affe-
ctum diu solliciteque inquirere, utrum ad hoc nego-
tium progressus fuerit, uel solo amoris affectu, uel
indignationis affectu, erga alios directo, quibus nul-
lum ius prohibendi competierat, ut sponsus non ira-
siceretur, non contraheret iratus, non sponsalia cele-
braret, non spes proximorum agnatorum futurae suc-
cessionis, per pacta forsan dotalia euerteret. Fortius
redditur hoc argumentum de sponsalibus irati validis
desumtum, si simul consideramus, sponsalia, ne qui-
dem ob errorem tertii uel ob dolum tertii (cum tamen
dolus et error secundum notissima iuris principia in-
ter aeternos hostes et perpetua impedimenta consen-
sus iure meritoque referantur) irrita esse et inualida:
Quid si enim sponsus ipse erroris huius caussa fuisse
non rectius inquirendo, et sponsa in bona fide exi-
stente? Quid si dolus tertii concurreret, et tamen

F

caussa

causa non amplius posset deduci in statum integrum? Sane omnibus hisce casibus non pronunciandum est in praeiudicium partis contrahentis innocentis, sed potius decepto danda est actio ad interesse contra decipientem; prout praecclare ostendit Ill. BOEHMERVS, Praeceptor meus in aeternum colendus, in Not. ad Coruini libr. II. Jur. Can. tit. XIII. §. 24. seq. et §. 27. not. a. in fin. et I. E.L. IV. tit. I. §. 115. et 142. Nolle tamen, ut quae de sponsalibus ex errore uel dolo tertii contractis adduxi, ultra suum tertium comparationis extendantur, et contra me urgerentur, quae Ill. BOEHMERVS c. l. circa fin. tandem concessit. Certe a maiore argumentari uolui ad minus: Quod autem minus sit, in testamento irati, quam in sponsalibus eiusdem, ex eo facile percipitur, quoniam in illo spectatur negotium unilaterale, et quidem tale, quod agentem prorsus non obligat, sed liberam relinquit mutationem et poenitentiam; e contra uero in his bilaterale negotium deprehenditur, et quidem tale quod perpetuum grauamen, imo, in ulteriori executione, damnum irreparabile inuolueret.

Quod itaque iustum sit, ut testatoris a tertio dolose ad iram provocati ultima uoluntas pro ualida habeatur et sustineatur, ficto quodam casu adhuc illustrare uolo. Supponam, Titium animo suo constituisse condere testamentum, haeredemque instituere Iauolenum: Sempronius autem, a tertio quodam de mente et proposito Titii certior factus, confessim se ad hunc conuertit, ibidemque inter alias confabulationes, tandem occasionem sumit turpissima quaeque, odiosa, et famam fugillantia de Iauoleni uita, moribus, religione etc. effutiendi: Calumniis sempronii Titius statim

*Validum
quaque te-
famentum
a tertio
dolose ad
iram pro-
vocati.*

statim mouetur, consiliumque mutat, ita, ut postea Caium, hominem itidem extraneum, haeredem scribat; et, hoc facto testamento, uita fungitur Titius. Hic habes ius, quaesitum Iauoleno, ad Titi haereditatem capiendam; qua is, ex sola hac ratione, quod testator iratus fuerit, et excitatus columni Sempronii contra praesumtum haeredem scribendum Iauolenum, minime defraudandus est. Leo uices Iauoleni, qui non leue inde incommodum et detrimentum sentit, propter spem, satis propinquam, ad haereditatem Titianam; sed non uideo, qua ratione et fundamento uel contra Caium innocentem agere possit petendo haereditatem, ad quam uocatus nondum fuit; uel ex quo capite testamentum, per se legitime conditum, impugnare uelit? Proinde unicum refugium restat, quod et leges et rationes aequitatis suggurunt, ut contra Sempronium decipientem uindicet dolum sibi tam nocuum, actioneque ad interest experiat. Ita satisfit utrinque; et Caio, cui haereditas tanquam legitimo haeredita salua manet; et Iauoleno, qui damnum persequitur, contra eum qui illud dedit; ut, et hoc casu, delicta suos teneant auctores.

§. VI.

Tandem denonio ad *Dissentientes*, eorumque argumenta, quibus utuntur ad destruendam thesin: *Tentantes* *Irati* esse invalidum. Ante omnia uero monendum est, me, ne quidem esse operae pretium, credere, ut contra omnes omnipino istius contrariae sententiae defensores pugnarem. Sunt enim duplicitis generis: Dantur, qui sine distinctione afferunt, *Iratos* non

non posse facere testamenta : Inter hos eminent FARINACIVS in prax. crim. quaest. 91. n. 27. Cum eo faciunt SALYCETVS, IASON et LVDVVELL. Dantur alii, qui non omnium iratorum, sed quorundam tantum testamenta inualida iudicant. Et huius sententiae primarii Patroni sunt LAVTERBACHIVS diff. de Ira eiusque effectus in iure et STRYKIVS in Cautel. Test. cap. 3. §. 32-33.

Iaprimis
LAV-
TERBA-
CHIVS et
STRY-
KIVS.

LAV-
TERBA-
CHIVM
diffensu.

Distinguit
in iram
magnum
et leuem.

Forsan et plures erunt defensores utriusque classis. At uero, cum priorem classem, tanquam aperte hallucinantem, absque omni responsione dimittendam iudicauerim; Contra hos ultimo nominatos Duuumiros Illustres, qui reliquos facile complectundur, omnesque et iudicio et auctoritate alias superare uidentur, unice defensiones meas parare studebo; praesertim cum his ipsis Coryphaeis generalis ista FARINACII assertio absolute displicerit. Quod itaque ad B. LAVTERBACHIVM attinet, Is, ut uera fatear, proprius ad meam sententiam, quam STRYKIVS, accedit; imo et speciosioribus argumentis caussam suam perorauit. Nempe, sola hac distinctione rem confici posse existimat LAVTERBACHIVS quod respiciendum sit, utrum testator in ira magna constitutus, an uero in leui; ubi priori casu testamentificationem nullam, posteriori uero ualidam declarat. En! uerba Viri post facta uenerandi: In ultimis uoluntatibus, inquit, et liberorum aliorumque exhaeredatione, supra traditam distinctionem inter iram uebementem, et leuem adhibendam esse putamus, ita, ut si ira testatoris tanta non sit, ut irascens uideatur exiisse de potestate, i. e. uti CICERO loquitur, de consilio, mente, et ratione; recte dicitur, quod eius dispositio, et exhaeredatio sit nulla, arg. L. 2. D. qui testam. fac. poss. L. 28. de R. I. Caeterum, si ira

si ira testatoris tanta non sit, quin eius dispositio et exhaeredatio ualeat, nulli dubitamus. Testamenta enim et aliae ultimae voluntates in tantum requirunt mentis integritatem, ut testatores sciant et intelligant quid faciant, illudque post mortem suam fieri uelint; ut eutem omnia perfecte, plene et mature deliberent, necessarium haud est. In hac sententia, satis moderate proposita, tria tantummodo, animaduersione mea digna, et ad defensionem meam meaeque sententiae pertinentia, reprehendo. Primum est, quod magnus ille Vir affectum irae cum uero furore aperte miscuerit. Haec ratio quam fatalis sit toti huic doctrinae, et quam pessime confundat, et principia inter se, et conclusiones ex illis, per totam hanc Disputationem ante probatum dedi. Proinde hic nihil muto; nihil addo: Contentus, ipsum B. Auctorem caute adhucisse uocabulum; *Videri exiisse de mente et ratione etc.* suamque adeo prodidisse diffidentiam erga comparationem legalem et iudicialem Irati cum Furioso. Immo gaudeo, optimum Virum ultimo loco ipsum facteri, in tantum requirentur testamenta et ultimas voluntates mentis integritatem, ut testatores sciant, et intelligant quid faciant, illudque post mortem suam fieri uelint. Secundum est, quod, gradus irae distinguere et dimetiri uelle, pertineat inter pia desideria, et inter res difficillimae executionis, sicuti in omnibus reliquis affectibus moralibus; uti supra ostensum. Hinc, quae inde formantur in foro Conclusiones, lubrica sunt destituunturque fundamento. Tertium de- nique respicit actum exhaeredationis, cuius quoque mentionem fecit Vir B. Nimirum, si testamentum Irati, et quidem si placet *summe irati*, non ualeret,

F 3

quo-

quoad institutionem, ad effectum, ut haeres scriptus haereditatem petere nequeat; per se sequeretur, neque *exhaerationem* in eodem testamento irati ualidam esse, ad effectum exclusionis haeredis necessarii a legitima. Sed iam ex meo principio inuerto thesin, et dico: Sicuti ualeat irati testamentum quoad *institutiones*, ita et ualere debet quoad *exhaerationes*: Modo testator ea seruauerit, quae alias omnem *exhaerationem* haeredis necessarii legitimam reddit, et quae in legibus cauentur. Caeterum quod *exhaeratione* fere semper, secundum suam indolem, desideret aliquem iratum, et, quidem non leui aliquo interdum gradu, si modo interna spectare possemus, nemo facile in dubium uocabit, qui causas in primis *exhaerationis iustas*, ad uindictam uehementissimam testatoris excitandam admodum habiles contemplari uelit. Sed pedem nunc promoueo ad B. STRYKIVM, Iureconsultum illustrem. Is, praeter distinctionem a LAVTERBACHIO allatam, et in antecedentibus satis remotam, ulterius, et quidem, ut multis uideri posset, subtilius distinguit inter testatorem *iratum haeredi extraneo*, et eum, qui *iratus fuit unius ex legitimis haeredibus*. Fas est, ut uerba, ex saepe citatis Cautelis Testamentorum cap. III. §. XXXIII. hic transcribam. Probe tanen, ait, attendendum est, contra quem iracundia commotus fuerit, (testator), an haec tangat *extraneum*, an unum ex legitimis haeredibus. Posteriori casu decisio hactenus proposita facilius locum habebit (nempe quod testamentum pro nullo habendum sit) quippe, dum illi auferre conatur successionem, cui illam lex destinauit, deliberata voluntate opus est, quae in iracundo deficit, cum furioso aequiparetur. Priori autem casu, si ab extraneo excitatus, et ad testandum subito prolabatur, non aequie

STRYKII
diffensus.

-OUP

8.1

aeque facile eius impugnari poterit dispositio. Saepe enim, qui contra unum commotus, cum aliis sobrie uersatur et prudenter loquitur. Inde, casu obueniente, ubi quis in rixam inciderat, et, uerberibus utrinque illatis, lethale uulnus accepérat, in summa adhuc animi perturbatione constitutus, cum uidaret, sibi mortem imminere, mox testes conuocauit ad testandum, illisque uoluntatem suam expōsuit, disputatum grauiter, an testamentum, a testatore hoc, in summo iracundiae gradu constituto, conditum, subsistere possit? Et responsum fuit, quod sic; cum negotium hoc baeredes non tangeret, et uerba, ad ultimam uoluntatem spectantia, satis prudenter protulisset, licet de caetero iracundiae uestigia adhuc apparuissent. Et buc refero Doctorum tradita, quando dicunt, ualere ultimam uoluntatem defuncti, etiam si iratus disposerit, uti etiam testatoris irati praeceptum ualere afferunt etc.^{**} Dici non potest, in quo extreimo gradu obstupuerim, cum incidissem in hunc locum STRYKIANVM, eumque debita attentione et legissim et relegissim. Protēstor, me, saluo hoc in sentiendo discessi, saluo hoc usū modestae libertatis, manes tanti Viri debita et perpetua ueneratione nihilominus prosequi. Et, qui Catulus insurgeret Leoni! Verum enim uero, et summos quoque uiros humani quid interdum pati, tum conuictus fui, cum in hoc paragrapho, praesertim collatis cum eo aliis praecedentibus, nil nisi theses male cohaerentes, petitiones principii, falsas conclusiones, manifestasque contradictiones inuenire mihi licuerit. Nec effugere talia unquam possunt aciem oculorum, a praejudicio auctoritatis bene purgatorum. Annotabo specimina: Sed tantummodo grauiora; et quidem breuiter strictimque; ordinem, quo

Responso-
nes, ad
illum dis-
sensum,
quatuor.

Prima.

quo STRYKIVS scripsit , sequuturus. I) Nemo in hoc argumento , in quo uersamur , mente concipere poterit , quænam utilitas exspectanda sit ab illa distinctione , utrum testator iratus fuerit prorsus *extraneo* , an *uni ex legitimis haeredibus*. Intuitu facultatis , quæ apud testatorem est , libere excludendi , praetereundi etc. inter utrumque nulla est differentia. In utroque etiam casu sufficere deberet , testatorem fuisse *iratum* , i. e. NB. ex mente STRYKII , *furiōsum*. Si instas , eum , qui contra extraneum ira commotus est , non esse *iratum* intuitu actus et temporis testamentificationis ; tunc aut apertam committis contradictionem ; aut non pugnas contra me , qui loquor *de testamento irati*. II) Falsissimum praesuppositum est , testatorem , contra unum ex legitimis haeredibus ira commotum auferre conari successionem , cui illam *lex destinavit*. Nam si testator , siue iratus siue non iratus , nil dat in testamento eiusmodi uulturi ab intestato (loquor cum Plauto , ibi :

Vultur est ; captat haereditatem.

Vultur est ; cadauer exspectat.)

nihil auferre conatur : Vtitur perfectissimo iure suo , quia ipsi nihil debet relinquere (§. IV. n. 3.) Nec lex alicui legitimo haeredi successionem destinat , nisi deficiente pacto et testamento . Vbi deficit dispositio hominis , ibi demum incipit dispositio legis . Deinde , si testamentum irati , quia furiosus est , non ualeat ; non ualere etiam deberet , si uel illum ipsum successorem , cui lex haereditatem destinavit , haeredem in tali testamento institueret : Ex uno enim eodemque principio non debent fluere e diametro contrariae conclusiones.

Et

Et quid tandem, quaeso! de hoc casu iudicaret B. STRYKIVS? Titius duos habet patruos, *pari gradu sanguinis sibi iunctos*, Caium et Iauolenum; ex quibus, quia Caio summe irascebatur, in ipso hoc affectu, condito testamento, Iauolenum solum haeredem instituit: Valet ne hoc testamentum Irati? Si affirmas; peccabis contra regulam STRYKII, quia testator ira commotus fuerit *contra unum ex legitimis haeredibus*: Si negas; non quadraret ratio STRYKIANA altera, testatorem *conari haereditatem auferre*, cui lex illam *destinavit*. III) Summa cum grauitate hic pronunciat ^{Tertia.}
 STRYKIVS: in illo, qui successionem *auferre conatur*, quam lex illi *destinavit*, *deliberata uoluntate opus esse*. Sed oblitus forsan fuit, quod paullo antea §. XXV. stupidum ad testamentificationem ualidam admiserit, et quidem NB. ob hanc rationem, quia non exigitur *ad hunc effectum*, quo testamentum sustineatur, ut illud conditum fuerit ab homine perfecto sensu praedito, sed sufficiat, quod saltim tempore conditi testamenti *talem rationis usum habuerit*, ut potuerit *exprimere*, quem haeredem habere uelit, et quantum quisque ex bonis capere debeat; quorundam pertineat elegans textus l. 4. C. qui test. fac. poss. Vnde impugnaturo testamentum non sufficiat offendere testatoris ingenium stupidum, sed docendum, quod prorsus intellectu caruerit. Oblitus quoque fuit forstian; quod in §. XXXI. ebriosi testamentum sustinuerit, et quidem iterum ob hanc rationem, NB. quia ad testamentum non exigatur exacta quaedam prudenteria, modo usu rationis non penitus destruantur testaturi, cum et fatui testamentum subsistat. Quaeso! quid sentis tu, qui haec legis, de iactantia illa uana, quam mirifice extollitur *deliberata* in testaturis uoluntas.

tas , silentibus legibus , u. c. L. 4. C. qui test. fcc. poss.
 Silente definitione testamenti , quae contenta est , si
 uoluntas , est iusta et legitima . (§. 4. num. 2.) Deni-
 que IV) iracundum furioso aequiparari , est illud pri-
 mum falsum ; illud simile , quod ualde claudicat ;
 illud elumbe assertum , quod in aeternum petit prin-
 cipium , et de quo toties conquestus sum. Proinde
 nolo crambe bis recoccta nauream creare. At , eheu !
 quot iam , uno obtutu , in uno hoc commate STRY-
 KIANO sefe manifestant contradictiones ! Has , si quis
 tollere soluereque ualeret , is , hercle ! magnus mihi
 erit Apollo. Fac periculum : Iracundus furioso aequi-
 parandus : Et tamen , si ira excitatus (modo ab ex-
 traneo) et deinde subito ad testandum prolabatur , tunc
 homo *sanae mentis* est. Iracundus furioso aequiparandus :
 Hoc non obstante , in *summa* adhuc animi pertur-
 batione , in *summo* adhuc irae gradu constitutus ,
 ualide condit testamentum ; prudenter uerba protu-
 lit , ad ultimam uoluntatem spectantia. Iracundus
 furioso aequiparandus : At nihilominus non dubitat
 STRYKIVS , laudare Doctores , qui dicunt : ualere uo-
 luntatem ultimam defuncti , etiam si *iratus* disposuerit ,
iratus praecepit. Sed taedet plura congerere .

Hinc manum de tabula !

T A N T V M.

DANN-

DANNREVTHERO SVO
AVCTORI HVIVS DISSERTATIONIS
EXIMIA VIRTUTIS DOCTRINAE ET ERVDITIONIS
LAVDE FLORENTISSIMO

S. P. D.
PRAESES.

Ad nostras Musas TV, DOCTISSIME DANNREV THERE! vix
delatus eras, cum iam statim, pro ea, quae vel in scholis
interioribus, vel in familiari conversatione, tecum mibi
intercessit, consuetudine, dotes ingenii TVI plane insignes et suspicere
et admirari ceperim. Sunt hae omnino, secundum cuiusvis aequi
aestimatoris iudicium, ita comparatae, ut inter aequales TV doctri-
nae praefantia nulli inferior, virtutum uero ornamenti morumque
elegantia non paucis superior adpareas. Quam digne hac TVA laude
floreas, hoc ipso Specimine Academico, quod, proprio Marte elabora-
tum, merito soli TVAE diligentiae gloriaeque vindicas, publicae quo-
que contemplationi exponis: Et, quamvis bene norim, TE meo, in
hoc labore, auxilio praesidioque facile super sedere potuisse; cum non
opus sit lima, quando quid, optimo iudicio rationibusque in consilium
adhibitis, elaboratum; neque etiam alieno indigetas clypeo, qui et do-
ctrina et facundia satis polles: Attamen nil iucundius mibi acci-
dere potuit, quam quod et testem praeconemque spectatae TVAE
virtutis me eligere, et gaudendi simul congratulandique occasionem
laetissimam mibi praebere volueris. Nihil enim reliquum est, quam
ut TIBI, Summorum in Iure Honorum propedium Candidato dignis-
simo, piis votis adprecer, velit Divinum Numen tantae industriae,
talia ulterius premerita amplissimaque largiri, quae Patriae
nostrae emolumendum, splendidae TVAE Familiae novum decus,
VENERANDISQUE PARENTIBVS verum gaudium solatiumque concilia-
bunt quam certissime. Vale! et res TVAS porro age feliciter.
Dab. Altorf. d. XX. April. A. O. R. MDCCXXXVII.

Mio

Mio Signore

162
Ecco comparire un aurora, che conduce un Giorno pieno di stupori, nel porre V. S. al Bersaglio la nota di lei dottrina per uia d'una these così ben lambicata, la di cui difesa deue ne' tempi venire aprirle la strada à gradi i più sublimi. Per questo fine corre pure à veloci passi la mia straniere e debol penna tutta fitibonda delle di lei glorie à felicitarla d'un auenimento di tanto peso. Confesso passar questo mio ardire i limiti della mia osseruanza, mà nel considerar le sue contentezze come mie proprie ho douuto render palese la gioia che ne fento pari alla sua. Percò si degni permettermi che possa partecipare di questo Giubilo nel uedere la stimatissima di lei persona seminare e mietere nel medesimo tempo in questa celebre adunanza di profondi Letterati gli onori compratisi col prezzo d' una esemplar diligenza. M'inoltrerei a dire di più, se la di lei modestia non m'imponesse un silentio col quale pretendo nulla di meno di far campegnare fin all' infinito i di lei meriti e le mie obligationi

*Pieghi la prego benignoguardo
su questo foglio che le
offerisco come una publica
Caparra della mia gra-
titudine*

D. P.

ULB Halle
004 199 219

3





Pr. 65. Blatt 32.

16.

DE

1747, 3

TESTAMENTO IRATI VALIDO

AVSPICE

D. GEORGIO FRIDERICO DEINLINO
IVRECONSVLTO ET ANTECESSORE
PERILL. REIP. NORIMBERGENSIS
CONSILIARIO

FAVTORE AC PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO
IN ALMA NORICORVM VNIVERSITATE

D. XXI APR. ANNO CCCCCXLVII

H. L. Q. C.

PUBLICE DISSERET

AVCTOR

FRIDERICVS GUILIELMVS DANNREVTHER
NORIMBERGENSIS

ALTORFII

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGRAPHI.

